DE RATIONE MEDICINAE HIPPOCRATICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS AUCTORITATE

IN ACADEMIA LIPSIENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS VENIA

IN AUDITORIO IURIDICO

DIE XXVI. M. MARTII A. MDCCCXXXIX.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS HERMANNUS DEGEN

DAHLENSIS

MEDICINAE BACCALAUREUS.

LIPSIAE

TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACAD.

VIRO ORNATISSIMO

FRIDERICO SALOMONI KAEMMLITZ

MEDICO EXPERIENTISSIMO

AVO

DILECTISSIMO AC SUMMA PIETATE

COLENDO

HUNC LIBELLUM ACADEMICUM

GRATISSIMI ANIMI TESTIMONIUM

ESSE VOLUIT

Auctor.

PROOEMIUM.

Quum in eo fuerim, ut hunc libellum componerem et diu multumque mecum reputassem, quid sit, quod ab eo postuletur, qui scribenda dissertatione summos ordinis medicorum honores adipisci velit, inveni, non sufficere id tantum, quod summa cum diligentia perspexerit naturae leges et cognoverit omnino artem medicam, sed necesse esse etiam, ut de eius rebus, quae sint et quomodo cum antiquitus tractatae sint, tum nostris temporibus intelligantur et aestimentur, idoneum faciat iudicium. Itaque conatus sum scribere de ea medicina, quae ab Hippocrate auctore nomen ducit, et eadem ratione, qua in morbis cognoscendis, iudicandis et curandis usus est, ad hunc usque diem retinetur et etiam atque etiam amplificatur. Quamvis antea iam fortasse haud immerito intellexerim, nonnullos fore, qui, quoniam aut obiter tantum omnino legerunt schedulas meas aut titulo tantum perspecto argumentum ipsum suspicantur divinare, me acta egisse existiment non potui tamen abhorreri a consilio mihi proposito, quia id, quod in eadem re, de qua multi iique doctissimi viri multa multumque iam ante me scripserunt, me quoque, quamvis in tirociniis artis medicae haeream, versatus sum, non esse mihi futurum putavi opprobrium. Nam cum nostra aetate multae atque plane novae medendi rationes prolatae et hanc ipsam ob causam inter medicos non solum dissensiones, sed controversiae etiam et rixae ortae sint, non ineptum mihi

esse videtur, denuo investigare fontem, ex quo tota ars medica effluxerit. Ita enim simplicitas quaedam medicinae potest fortasse restitui, ita, inquam, aliquando nascetur cum unitas inter dissentientes, tum certa illa agendi ratio, qua sola medicus generis humani saluti prospicere potest. Praeterea autem maxime postulat tempus nostrum, quo omnes artes ad criticam, ut ita dicam, severitatem exacta est, ut non per omnes artis partes obiter vagemur, neve hoc illud delibemus, sed diligenter accurateque persequamur eius non minus originem, quam progressus. Quam ab causam iure meritoque provexit aetas nostra in altiorem locum eos, qui principes versati esse dicuntur in rebus nobis nostrisque hodie utilibus. Equidem vero confiteor maxima cum voluptate iis operam dedisse, quae Spectatissimo Lectori in sequentibus a me proposita sunt, praesertim cum satis perspexerim, neminem posse accipere puram doctrinam nisi eum, qui ipsemet pervestiget fontem, suaque ipsius manu quasi inde hauriat veritatem. Inter Graecos, illos inquam, qui Hippocrati aequales fuerunt, etsi tunc temporis iam indulgerent libidini sensuumque voluptatibus, regnavit tamen neque effeminatio illa corporis et animi, qua alii populi pari conditione oprimantur, neque segnities, qua ad litteras tractandas inepti fuerint facti, sed, cum eorum libidines semper nixae essent quasi arte, excelluerunt potius incredibili fere modo et decori sensu et sagacitate et alacritate ingenii. Hinc etiam apparet, unde factum sit, ut Hippocrates medica arte et praecipue in morborum observationibus ita sese praestiterit, ut medendi eius rationem quodammodo nos quoque tanquam normam retinuerimus. —

I.

De philosophia medicinae Hippocraticae.

Hippocrates, philosophorum tum temporis praeclarissimorum discipulus, Democriti familiaris, vir magni ingenii, bene intellexit, praesertim cum tum temporis summa philosophiae in homine versaretur, medicinam non esse sine philosophia.

Prae ceteris duo philosophandi genera distinguenda sunt, quae a principiis diversis initium ducunt. Quorum alterum, Platone auctore, incipit a notionibus animo innatis, ex quibus sub nomine idearum Platonicarum notis omnes res deducuntur; ita ut ideae evolvantur tantum experientiae ope. Haec philosophia synthetice agit. Alterum philosophandi genus experientiam scientiae nostrae fundamentum sistens, methodo analytica primum constituit Aristoteles, qui naturam sequens omnes notiones ex experientia natas esse dicit.

Quamquam ante Platonem et Aristotelem haec duo principia non satis definita erant: tamen iam Hippocrates intellexit, ad omnem scientiam unicam esse viam, experientiam. Qua de caussa Galenus Aristotelem et Theophrastum Hippocratem sequutos esse dicit; cf. Galen. method. med. lib. II. p. 33. Iure igitur Hippocrates medicus philosophicus methodo sua, non schola, nominatur. Ex mente disciplinae Hippocraticae scriptum est, quod legitur in libro d. decent. ornatu p. 54. *Διὸ δεῖ ἀναλαμβάνοντα τουτέων, τῶν προειρημένων ἕκαστα, μετάγειν τὴν*

σοφίην ἐς τὴν ἰητρικὴν καὶ τὴν ἰητρικὴν ἐς τὴν σοφίην· Ἰητρὸς γὰρ φιλόσοφος ἰσόθεος.

Hippocrates hypothesi qualitatum, quas in quatuor humoribus, i. e. sanguine, muco, atra et flava bili inesse, in quorum ordine perturbato caussas morborum proximas positas, ordine vero restituto morbos curatos esse putavit, se in summa experientiarum collectarum quiescere non potuisse, sed ad principia generalia respicere debuisse manifestat. Principiorum vero desiderium ubicunque apparet; quapropter iamdiu intellectum est, necessarium esse, ut ars medendi principiis firmis nitatur. Nam fieri non potest, ut in memoria et tenacissima omnes observationes alienae remaneant. Quem ad finem experientiam solam esse viam, ideoque methodum analyticam, sine qua ars medendi rationalis esse non possit, maxime adhibendam esse plurimosque tulisse fructus, artis Nostrae historia splendide testatur. Errant igitur, qui totam philosophiam medicinae nocuisse dicunt; nam hoc referendum est tantum ad methodum illam, quam nominavimus syntheticam, qua principia excogitata pro summo habeantur. Atque profecto fatendum est, philosophiae transcendentalis hypotheses bonum in praxi eventum non habuisse.

Aliter se gessit empirismus rationalis, qui in singulis casibus processuum legem comparando et meditando perscrutari conatur ac diversa distinguendo, paria vero coniungendo ad principia generalia, quae ubicunque in singulis probari possunt, gradatim adscendit. Negari tamen non potest, et empirismum interdum nocere eo, quod, singulis processibus observatis, eorum leges pro principiis generalibus habeantur. Philosophia vero imbuti, non empirismo soli faventes, hoc vitium possunt evitare; nam philosophiae studium reddit nobis facultatem, genus a specie, necessaria a rebus accedentibus discernendi.

II.

De pathologia.

Galenus comm. I. in libr. de articul. p. 579. de Hippocrate dixit: *Οὐκ ἠξίωσε γράφειν αἰτίας ἐξ ἐπινοίας, λογικῶν ἀξιοπιστότερον ἡγούμενος ἀεὶ τὸ φαινόμενον ἐναργῶς. Οὕτως οὖν καὶ τὰς ἐν ταῖς θεραπείαις ἐπινοίας ἑαυτοῦ τῇ πείρᾳ βεβαιοῖ, πρὶν ἡμᾶς διδάσκειν.* Etsi Hippocrates raro tantum a priori de morborum natura constituit, tamen aliquoties theoriam de humorum qualitatibus adhibet ad caussas morborum explicandas, ut verbi caussa, Aph. V, 62, sterilitatis; spasmorum expletionem et exinanitionem caussas pronuntiat; cf. Aph. VI, 39. Exinde apparet, et excellentissimi perscrutatoris animum in observatione rerum, quarum naturam nesciat, quiescere non posse et studium morborum caussas explicandi iam inde ab Hippocrate prodiisse. Historia quoque nobis tradidit, optimos medicos semper operam dedisse, ut cognoscerent morborum caussas, quibus remotis morbi radicitus curarentur. Quodsi hi etiam interdum aberraverunt, tamen pio animo fatendum est, plurimum hac ratione per saecula esse praestitum, nosque, natura accuratius cognita, ad multa problemata explicanda propius accessisse.

Ut vitae actionum impedimenta, quibus morbi evocantur, accuratius investigari possent, vitae caussas inquirere conabantur. Quae exinde evenerint, non omni ex parte satisfacere potuerunt: nam nunc materia, nunc animus tantum imprimis observatus est.

Observatione materiae mutatae exorta sunt systema quaedam, ex quibus eminet iatromathematicum et iatrochemicum. Viderunt enim verbi caussa hypertrophias, tumores, ulcera,

exanthemata, colorem mutatum, secretiones et excretiones in quantitate et qualitate a lege recedentes; in cadaveribus secandis structuram abnormem, organorum situm aberrantem et formam mutatam, emollitionem, duritiem, concrementa, novas formas, ut polypos, fungos, tubercula etc., quibus pathicis permutationibus caussas morborum inesse putaverunt. Imprimis iatromathematici structura formaque corporis respecta, habuerunt ossa pro fulcris, musculos pro vectibus, cor pro antlia, vasa capillaria pro tubulis sugientibus et cet. cet. In quo legum physicarum usu vires organismi dynamicae praetermissae sunt. Quamquam haec schola in studio suo legum organismi validi et aegroti inquirendarum unam tantum organismi partem lustravit, tamen hunc usque diem dignitatem quandam magis in physiologia et pathologia, quam in therapia, retinuit. Ratio tamen disciplinae huius nostro tempore eo coercebatur, ut, si leges physicae organismi functionibus et processibus explicandis satisfaciant, ad conditiones dynamicas non sit confugiendum; organismus enim, materiae respectu mechanismus est, ideoque a legibus physicis regitur: sic verbi caussa leges opticae et acusticae ad functiones horum sensuum explicandas feliciter sunt adhibitae. Sed tamen semper aliquid incidit, quod ad ipsius organismi notionem referendum est. Praeterea ampliorem cognitionem electricitatis, galvanismi et magnetismi ad multas vitae actiones interpretandum adhibuerunt, vertebrarum dorsi connexum columnae Voltaicae similem aestimaverunt, nervos pro conductoribus habuerunt, secretiones quasi ab effectu catenae Galvanicae clausae productas adspexerunt: sed neque vis vitalis enucleabatur, nec praxis medica fructum percipiebat.

Uberiorem fructum percipimus ex disquisitionibus anatomico-pathologicis, nostro tempore summa diligentia institutis. Nam organorum structura mutata, actione vitale impedian-

tur necesse est. Sed cavendum, ut, his materiae vitiis observatis, ad iatrophysicorum systema redeamus formamque et mixtionem abnormem pro morborum caussis aestimemus, praesertim cum hae materiae aberrationes sine vi vitali reproductionem regente neque exoriri neque aliter censeri possint, nisi pro effectibus vitae actionis irregularibus. Itaque hae structurae mutationes nos saepenumero procedentem quidem processum pathicum, sed non caussam proximam docent. Sic verbi caussa disputant, utrum quaedam materiae organicae metamorphoses ex inflammatione, an ex laesa vi plastica oriantur: sic nesciunt, utrum ulcera in intestinis inventa typhum abdominalem generent, an sequantur. Deinde non raro mutationes in cadaveribus inveniuntur, quas in vivis frustra quaereremus. Si verbi caussa neque color internarum partium ruber semper ex inflammatione ducendus, neque defectus rubri coloris pro certo morbi non inflammatorii signo habendus est; nam decoloratio vaporibus evolutis praesertim acido hydrothionico formato facile potuit fieri. Cf. Rapp. Dissert. de vera interpr. observ. anatomiae pathologic. Tubing. 1834. Haec disciplina iatromathematica partim praeparata ex philosophia Cartesiana mathematicen ut quaestionibus philosophicis responderet, optimam ducem adhibente, partim pronuntiata, observato per Harveium sanguinis circuitu, quam functionem corporis praestantissimam eodem modo fieri, quo machina hydraulica, opinati sunt, partim excitata magnis Gallilaei inventionibus physicis autorem habuit Borellium. Baglivius autem theoriam quidem huius disciplinae secutus in praxi Hippocratica methodo usus est.

Saeculo decimo septimo cum chemia maximos fecisset progressus, signaque mira affinitatibus corporum chemicis ad lucem provocata, essent observata, organismi functiones ac pathogenesin chemiae ope explicare conabantur, quos iatrochemicos

appellamus. Haec schola, in praxi perniciosa, tamen nonnullos fructus tulit, quod humores et substantiae corporis humani chemica ratione accuratius investigarentur. Chemiatricorum vero hi sequuntur pathologiam humoralem, quae caussas morborum in humoribus positas esse docet, illi vero solidarem, quae differentias morborum primarias in partibus solidis quaerendas iubet, neque ab iatromathematicorum systemate multum differt. Chemiatrici theoriam suam in eo posuerunt, quod corpora organica quasi ex crystallisationis processu, partibus fluidis coagulatis, originem ducant, atque ex fluidis solida sine dubio formentur. Silvius de le Boe, facile princeps iatrochemicorum, morborum causas inquirit in humorum depravatione. Adeoque Sydenhamius huic scholae adscriptus humorum depravatorum differentiam quasi ac vidisset accuratissime descripsit. Acidas autem et alcalinas humorum et sanguinis alienationes, quae praesumtae erant, remediis oppositis, studebant removere. Cum putrescentiam partium fluidarum et saburras semper adesse opinarentur alienationes et evacuationes indicatae esse videbantur. Non cogitaverunt, totum corpus se habere vivum, ideoque vitam nec in solidis tantum, nec in humidis solum partibus investigandam esse, quapropter alienatio, nonnisi tota vitae actione ordinata, perfici possit. Nihilominus praecepta huius scholae hunc usque diem plus minusve valuerunt; sed, praetermissa chemiae scientia imperfecta, et si in corpore aegroto quasdam mixtionis chemicae differentias reperiamus, chemiae opem ad illas exaequandas raro tantum invocare poterimus. Ventriculi pyrosin verbi causa interdum quidem remediis alcalinis curare studebimus, sed symptoma hoc denuo rediturum esse scimus, nisi causam primariam, ex qua succus gastricus acidior et maiori quantitate secernatur, cognitam removeri potuerimus. Calculum vesicae urinariae, cui vel imprimis alcalinas vel prae ceteris

acidas partes componentes inesse scimus, remediis vel acidis vel alcalinis neutrum reddere et sic solvere conabantur. Propterea autem, quod, quomodo calculorum partes componentes gignantur, hunc usque diem non potuit probari, haec chemica curandi methodus ambigua fuerit necesse est. Itaque necessitate urgente cruentam illam lithotomiae operationem libentius instituere, quam haec dubia remedia iterum iterumque adhibere solemus. Iam Sydenhamius, vir ille celeberrimus, qui medicinam Hippocraticam restituendam curavit, principia medendi chemica non adhibenda esse censuit et ingenuosissimus Alexander de Humboldt in libro, quem inscripsit: *Ueber die gereizte Nerven- und Muskelfaser* Tom. II. pag. 167. dixit: *Es ist eine falsche Ansicht der Dinge, dem Körper die fehlenden Stoffe künstlich ersetzen zu können und es ist irrig aus der Natur der mit Vortheil angewandten Mittel auf den Mischungszustand der kranken Materie zurückzuschliessen.* Exinde viro experientissimo Neumanno, qui acidum muriaticum et aceticum bono successu in statu quodam gastrico adhibuit, poterimus vix assentiri opinanti, cum acidum muriaticum et aceticum, quod utrumque possit substitui, succo gastrico insit, hanc ob causam illa remedia bonum praestare effectum. Etenim vero, etiamsi sententiam illam in organismo vivo alias ac in natura, quae dicitur mortua, leges valere non probabimus, cum omnium actionum leges ubicunque eaedem esse debeant, tamen elementorum analysin et synthesin vitae legibus organicis subditam esse oportet, quia vita in eo posita est, ut naturae externae potestati repugnans integritatis suae reservandae studeat.

Medicina Hippocratica, quae ex intromathematicorum systemate leges physicas ad partem sibi vindicavit, ex chemiatricis principiis assumsit humorum et partium solidarum analysin chemicam. Si anatomiae pathologicae prima initia quaerenda

sunt apud physiatricos, mixtionis humorum chemicae cognitionem nostram profecto tenuem chemiatricis debemus. Sic Hippocraticorum est, *ex quoque systemate verum sibi eligere et legibus eclecticismi empirico-rationalis obedire.*

Progressus vero, quos fecimus nostris temporibus in analysi aegroti corporis humani chemica propter chemiae organicae scientiam, non admodo excultam nobis satisfacere non possunt. Cum sanguis fons sit, ex quo organismus materiam sibi assimilandam haurit, prae ceteris eius mixtio alienata animadversa est. Qui chlorosi et stomacace laborant, eorum sanguis, fibrina diminuta, partibus serosis abundat; sic in gravidarum sanguine lymphae coagulabilis copia adaucta est; sanguis eorum, qui rheumatismo sunt affecti, venis emissus ostendit crustam, quae in febribus biliosis cum irritatione inflammatoria viridescentem praebet adspectum; phthisicorum sanguinem lacteo colore et olfactu interdum observarunt. Sed omnes hae observationes non manifestant, utrum sanguinis mixtio et cohaesio alienata cuius de natura dubitamus, proxime potentias externas sequatur, an vi vitali quae reproductioni praesit, affecta exoriatur. Sic exempli causa homines quidam, quamvis perniciosissimis potentiis corpora sua obtulerint, non aegrotant, adeoque contagiis non afficiuntur, quod, ut interpretemur, prae ceteris necessarium est, ut dispositionem internam, sine qua morbus non possit exoriri, accipiamus, porro, ut contagium illud ullam corporis partem tangat. Substantiae corpus adeunt per ventriculum, cutim et pulmones. Ventriculo ingesta chylificationis ope sanguini immiscentur ita quidem, ut digestionis vires praesumantur. Propius per cutim externam et pulmones fortasse etiam in tractu intestinali per venas capillares absorbentes a corpore suscipiuntur materiae. Verisimile est, sanguinem in pulmonibus et per cutim contagiis infici, quod ex legibus hydraulicis et affi-

nitatis chemicae unicis, cum sub omnibus conditionibus non consequatur, vix fieri potest. Exinde ut artis physicae et affinitatis chemicae leges, siquidem ex physiologia delere nolumus, principio vitae vitalis subdere debeamus et vitalitatis affectum tamquam conditionem praesumamus, sine qua mixtio organico-chemica non possit mutari. Corpori ingesta, cum non raro in secretis rursus invenirentur, integra per vasa sanguinis perduci putarunt. Quodcunque, ut hoc probaretur, institutum est, corpora aliena in sanguinis circuitu integra non circumduci ostendit. Quapropter iudicandum est, omne corpori alienum permutari, sed vel organorum secernentium actione, vel ex propriis, quae in secreto nunc corpori alieno denuo valent, affinitatis chemicae legibus denuo componi, non aliter, ac in processu Galvanico Kali et Acidum a polis columnae Voltaicae adversis utrumque reiectum, indifferentia in catena ducente media superata, ad polum affinem qualitate originaria confugiunt. Facile enim fieri potest, ut quae elementa in chemia cognovimus, sub quibusdam conditionibus hodie quoque ignotis, in partes constituentes remotiores possint dissolvi. Etsi enim sanguinis et humorum mixtio quodammodo a nutrimentis dependens non neganda sit; quod ex personis male nutritis, quas fibrina sanguinis carere scimus, perspicue illustratur, tamen haec observatio primariam sanguinis affectionem non probat. Sanguinis vero mutatio chemica potius secundum Herr cf. eius libr.: „*Ueber den Einfluss der Säfte auf die Entstehungen der Krankheiten*,“ *Freiburg* 1834., deducenda est

a) ex impedita substantiarum necessariarum ingestione, ut exempli causa aëris atmosphaerici pulmonibus destructis.

b) ex secretione abnormi substantiarum, quae ad sanguinis mixtionem pertinent.

c) ex secretione et excretione impedita.

Illis igitur causis ab Herr enumeratis,] quibus vitiosa sanguinis mixtio efficiatur, ista sanguinis mutatio posita esse probatur in vitalitate male affecta, quae non remediis, ex legibus affinitatis chemicae effectum praestantibus, sed temperata tantum vitae actione restitui potest.

Si saeculo decimo septimo ad corporum organicorum functiones explicandas aut mechanismi tantum aut partium constituentium mixtionis ratio habita est, causae organicae, utraque parte conditionibus physicis tantum haesitante, sunt praetermissae. Iohannes Swammerdamm, cum differentiam inter motus voluntarias et involuntarias sustulisset, (cf. *Bibel der Natur*, *Bd.* 2., *S.* 844.) Stahlio systematis dynamici auctori praeivit. Hoc ingeniosissimum Stahlii, medici philosophici longe celeberrimi, systema, philosophiae Cartesianae dogmatibus tunc temporis florentibus, praeparatum est. Secundum hanc Cartesii theoriam, materia passiva aestimata, omnes corporis organici motus a causis externis et substantiis materia carentibus sunt deducti et Malebranchius, Cartesii assecla celeberrimus, animum, non semper sui ipsius conscientem, omnes corporis motus regere sine ambagibus elocutus est simulque affirmavit, vim corporis moventem nil aliud esse, quam voluntatis divinae efficaciam. Quam sententiam tempore, quo ad mysticismum et pietismum propensi erant omnes, facile acceptam esse non difficile est intellectu. Huc accessit Helmontii doctrina de Archaeo fine saeculi decimi sexti imperium tenens quam Georg Wolfgang Wedel, Stahlii magister, defendit et publice docuit. Itaque non mirum est, quod ex illo tempore systema spirituale prodire potuerit. Iam in disputatione, quam Stahlius scripsit iuvenis sanguificationis officium animo adscripsit. Stahlii vero animus est Archaeus Helmontii. Sylvii ac Willisii theorematibus instructus Stahlius iuvenis miratur, quod corporis humores, secun-

dum hanc theoriam quam maxime ad putrescentiam propensi, rarissime tantum putrescant. Quum vero ex animi pathematibus quam celerrime prodirent morbi, Stahlius materiae effectum intermedium negavit simulque, quod innumeri morbi in vitae actionibus vitiosis haberent causam, ut mixtio aberrans praesumeretur, non esse necessarium obtinuit. Quae a veteribus vires a recentioribus motus nominati sint, a quo principio dependeant omni tempore gravissima Stahlii erat disquisitio. Veteribus, qui hoc principium habuerunt pro natura, cui effectus adscripserunt consulto institutos, Stahlius assentitur atque ut virium multiplicationem ex Newtonii regula evitet causas omnium corporis animalis mutationum sub nomine animi complectitur; mechanismum autem et chemismum, quo natura ad consilia sua perficienda uteretur, in inferiorem ordinem redegit. Itaque in libro, qui inscriptus est: „Propempt. inaug., qui bonus theoreticus, malus practicus," Stahlius pronuntiavit, si quis in anatomia corporis humani bene versatus functiones partium singularum non intellexerit, hunc ex cognitione sua fructus bonos non esse percepturum. Omnis motus secundum Stahlium actio dynamica est; materia, semper passiva, quaque vi caret. Quapropter Hoffmann in libro quem scripsit de differentia inter doctrinam mechanicam et Stahlii organicam passivam materiae qualitatem ad Atheismum ducere; Deus enim si primus omnium corporum movendorum fons sit, ut mundum expleat simulque cum mundo in unum coniunctus sit, quod iam Spinoza docuerit, necessarium esse declaravit. Stahlii sententiae, animo omnium motuum organicorum causam inesse, digestio et sanguinis circuitus, quae functiones sine nostra ipsorum conscientia peraguntur, contradicere videntur. Sed systematis dynamici auctor animum ratione seu λόγῳ sed non ratiocinio seu λογισμῷ fungi respondet. Quem animum nihil aliud esse

pronuntiavit, nisi veterum naturam; nam verbum *ψυχή* ex *φύσιν ἔχων* exortum esse, de quo id, quod veteres de natura dixissent, *ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα καὶ οὐ μαθοῦσα τὰ δέοντα ποιέει, οὐκ ἐκ διανόης* (cf. Hipp. Epidem. lib. V. s. 6. p. 1184), posset obtineri. Stahlius, cuius merita de subtili et accurata organismi aestimatione maxime valent, organismum omnino corpus, cuius partes omnes ad unum finem sunt instructae, definit; corpus humanum ratione partium singularum et structurae habita, mechanismum, sed finibus consideratis organismum esse. Quae differentia inter corpora organica et anorganica, cum nihil naturae inutile observetur, non potest statui.

In diss. de motu vitali tonico, quam explicat partium mollium tentionem et relaxationem, ex qua sanguis ceterique humores propellantur; hac de causa congestiones, spasmos, febres, haemorrhagias etc. deducit. Cum vero in Harveii doctrina de sanguinis circuitu sententia esset accepta, sanguinem, ut in machina hydraulica eo moveri, quo minime resisteretur, primum Stahlius iterum demonstravit, non solum ex legibns physicis sanguinem moveri, sed etiam organicis.

Ex Stahlii theoria: Verum generalissimum subiectum aegritudinum est perturbata, idea regiminis ipsius oeconomiae animalis; omnium enim motuum et mutationum causa prima animo posita est. Creberrimae vero morborum causae quaerebantur in plethora, imprimis abdominali, ex qua haemorrhoides, hypochondria et arthritis orirentur; vena portae erat scholae Stahlianae porta malorum.

Naturam morbos motu tonico, congestionibus, secretionibus et excretionibus etc. curare, quod sanandi studium naturae a veteribus *αὐτοκρατία* naturae appellatum esset explicuit ille in diss. de *αὐτοκρατία* naturae; quam in febribus ad organorum irritationem removendum excitatis videre liceret. Cum

his autem physiologicis et pathologicis principiis therapia Stahliana convenit, quae medicum naturae ministrum, non dominum voluit.

Hoc Stahlii systema psychicum, quamquam, praetermissis corporis legibus physicis unam tantum organismi partem respexit, tamen ad dynamicos processus vitae accuratius explorandos multum valuit. Sicuti tempore priori in corporis structura et mixtione physiologiae et pathologiae leges fundamentum habere putabantur; sic nunc ad agentem, moventem et mutantem organismi vim animum advertebant.

Processus novus in legibus organismi dynamicis exquirendis Brownii systemate factus est, quod vitam prodeundam iussit ex duobus factoribus, interno incitabili et externo incitante; cuius principii utriusque respectu omnes morbi, plus minusve vi vitali irritata, in sthenicos et asthenicos divisi sunt. Quamquam, cum theoriae praxis non responderet, principium hoc falsum esse intellectum est, nihilominus medicina virium organismi quantitate, de qua morborum natura ad partem dependet, accuratius aestimata, fructum ex hoc systemate bonum percepit. Quatenus Huffland, ille vir summae doctrinae et experientiae, cum principium Brownianum finibus certis inclusisset, praxi medicae utilitatem tulerit, eius praxeos medicae systema ostendit.

Philosophia saeculi nostri, quoquo versus fines suos propagans, naturae cognitionibus temporis nostri praeclarissimis potita est, ac vitae universalis legibus, quas in singulis inquirere studebat, methodum sanandi respondentem a priori construxit. Nec vero negandum est, cogitationibus monstrosis singulorum praetermissis, systema hoc dynamicum, non una tantum vitae parte respecta in finibus non tam angustis esse inclusum. Ex hac igitur theoriâ naturae philosophicâ sensibilitas,

irritabilitas et reproductio distinguuntur; quae si consentiunt valetudinem, si dissentiunt, morbum generant. Sed quod systema morbo quodam affectum sit, interdum intellectu difficilimum est. Sic verbi causa in systematis reproductivi formationibus morbi inveniuntur, qui actionem eius affectam negant, sed sensibilitatem et irribilitatem laesam affirmant, eodemque modo sensibilitatis pathemata interdum solum functione organorum, quae praesunt reproductioni, impedita manifestantur. Itaque post terrorem vomitus et diarrhoea, post iram icterus observatur. Exinde sequitur, ut haec tria sensibilitatis, irritabilitatis et reproductionis systemata penitus inter se cohaereant atque experientia saepissime violenter tantum distrahi possint.

Rationi medicinae Hippocraticae, quae eclecticismo empirico-rationali imprimis favet, omni ex parte respondet, ex his omnibus systematis, quoniam experientia tamquam optima ductrix summopere aestimanda est, id *elegisse*, cuius utilitas praxi probatur.

III.

De therapia.

Corpus, quod se vitamque suam sustinere potest, organicum affectiones morbosque avertere solet. Haec natura medicatrix maximopere a nobis observanda est, quum quaecunque artificiosa curatio ex illa originem ducat et eius legibus therapia nostra fundata sit. Verum hoc esse docet experientia. Nam saepe natura ipsa gravissimos morbos, nullis adhibitis remediis, removet et diversissimas medicorum methodos sequuta est curatio. Ex ipsius organismi ratione illique insita vi vitali patet, naturam functionum impedimenta removere, perniciosam materiam repellere, aequitatem virium perversam exaequare, mixtionem materiae vitiosam meliorem reddere, ergo morbum curare debere. Quod Hippocrates de natura medicatrice observavit, nostram postulat admirationem. Nam nemo praeter illum tam perspicue vidit; quod observantis menti integrae, et tunc minus corruptae hominum naturae adscribendum et ex his caussis explicandum est. Observavit iam morborum febrilium communem septem dierum cyclum eorumque per lysin vel crisin solutionem; non fugit illum, sudorem, urinam, haemorrhagiam, diarrhoeam criticam significationem habere posse. Metastasi vel Metaschematismo interdum fit morbi mutatio et metastasi quidem non raro morbi febriles, singulari quadam parte vel systemate morbo correpto, recedere solent. Mutationis vel utilitas vel pernicies a systematis vel partis affectae dependet gravitate. Sic verbi caussa metastasi oriuntur abscessus, exanthemata, furunculi, erysipelas, glandularum tumores, paralyses,

adeo stupor et mentis alienatio, vitia organorum secretionis, pulmonum, fluor albus, catarrhus, salivatio etc.

Formam vero morbi mutatam, ut febris acutae in lentam, nominamus metaschematsimum.

Affectiones topicae et febriles, quodam temporis spatio praeterlapso et stadiis quibusdam superatis sponte recedunt. Sic catarrhus, gonorrhoea, podagra, rheumatismus saepe sanatur, nullo adhibito medicamine, vel sponte vel metastasi vel metaschematismo. Sic dysenteria transit in coryzam, mentis alienatio recedit exanthemate vel febri intermittente exorta, suppuratio interna secretione puris in cute sublevatur; corpus alienum affluxu humorum reactione facta, segregatur; arenula oculo iniecta lacrymali fluxu, venenum ventriculo ingestum vomitu, et purgatione, irritamentum urethrae gonorrhoea, et cet. cet. removetur.

Natura deinde medicatrix instinctu quodam actionem suam manifestat. Corpori enim organico facultas inest, nulla ratione adhibita, vitandi, quod perniciosum, adpetendi, quod salubre est. Sic verbi caussa febri laborantes cibos recusant, potum optant: accumulata bili perversa in primis viis, appetitus acidorum invenitur et carnis aversio: eadem de caussa mente capti in aquam frigidam ruere student.

Harmonia, quae omnes corporis partes regit singulasque coniungit, organis singulis affectis, totum organismum non raro adiutorem evocat: pulmones affecti sympathicam omnium respirationis organorum reactionem excitant, quam tussis sequitur, qua, quod irritat, respuatur. Affectio localis febrem excitare potest, qua morbus antea fixus movetur, ut cesset: epilepsia, febri intermittente accedente, evanescit.

Porro partis affectio, oppositarum partium affectione, per antagonismum curatur: non raro, functione cutanea suppressa,

diarrhoea exorta incommodum avertit, et sudore diarrhoea sistitur.

Ex metastaseos observatione methodus antagonistica seu revellens prodiit, qua sympathiae et antagonismi legibus morbi organorum ad vitam necessariorum periculosi a priori loco ad partes minoris momenti deducuntur: maniam remediis drastice purgantibus a cerebro irritato ad tractum intestinalem traducere; tussim convulsivam unguento tartari stibiati inuncto, diminuere solemus: Antagonistica est curatio internae organorum suppurationis, quae fit fonticulis, coxalgiae cauteriis actualibus. Qua de caussa Caelius Aurelianus (cf. Morb. acut. lib. I. c. II.) capillos decidendos esse censuit, quod Sydenhamius in phrenitide, ut a partibus internis derivetur, salutiferum putavit (cf. Prax. med. p. 660.) cuius usum Celsus (cf. Lib. 3. c. 18.) in ophthalmiis chronicis expertus est. Cucurbitae mammis impositae metrorrhagiam sistunt. Ut assiduis virorum doctorum studiis alvi obstructio generatur, sic, animo ad aliam rem adverso, diarrhoea sedatur. Amaurosis, orta ex podagra celeriter suppressa, removeri potest, si restituimus podagram. Blepharophthalmia sanatur cortice mezerei in brachiis imposito. Ex ventriculi spasmo vomitus excitatus clysmate irritante deducitur. Iam Hippocrates (cf. Aphor. 2, 46.) dixit: Duobus doloribus simul infestantibus eundem locum, vehementior alterum obscurat. Hac tamen methodo inprimis vires spectandae sunt; nam in magno stheniae gradu irritatio quaevis adaucta nocet; quapropter antagonisticas affectiones evitemus necesse est, donec illa est remota. Quamdiu diathesis inflammatoria tanta est, ut venaesectiones indicatae sint, neque vesicatoria neque alia irritamenta antagonistica sunt adhibenda. Si vero asthenia adest, secretiones, quae methodo antagonistica promoveri solent, nos evitare oportet. Spectandus tamen semper stheniae aut asthe-

niae gradus, et comparanda est irritatio antagonistica nunc instituenda cum irritatione, quae locum obtinet: sic verbi caussa encephalitis aut pneumonia, suppressae podagrae pedisequae, brevissimo tempore topica irritamenta postulant, quae partem prius iam affectam irritando pedibus podagram denuo adducunt. Rationalis medicina, quae ab Hippocrate nomen ducit, in singulis morbis accuratissime indicationes et contraindicationes comparet necesse est. Ut methodus haec naturae medicatricis remediorumque, quae adhibet, observatione accurata prodiit: sic semper via, quam natura in aegrotis curandis sequitur, in singulis casibus denuo iteranda est. Maximam haec antagonistica methodus utilitatem in morbis acutis praebet, quibus periculosae organorum maioris momenti affectiones quam celerrime in minoris momenti organa transponantur necesse est. In chronicis vero morbis huius methodi utilitas ambigua est, quod diuturna derivatio partim ob dolorem, partim ob virium defectus in ulceribus arte institutis, partim quod partes integrae in aegrotas convertendae sunt, manifeste malum habebit successum, quem avertere et meliorem reddere rarissime tantum poterimus.

Gallenianum illud: „Contraria contrariis opponenda" methodi antipathicae fundamentum est nititurque experientia, qua contraria se tollunt. Ratio igitur huius disciplinae remedia postulat, quae contrarium efficiunt eius, quam proximam morbi caussam cogitamus. Methodus haec quasi hominum naturae innata est; nam qui friget, calorem quaerit, et, qui sitit, bibit. Obstructionibus alvi evacuationes, diarrhoeae obstruentia, calori febrili refrigerantia, debilitati roborantia opponuntur. Methodus igitur antipathica excitantem, roborantem, sedantem, antiphlogisticam, evacuantem, resolventem, adstringentem etc. methodum in se suscipit.

Quae vero remedia sint eligenda, ab indicationibus pendet, quas proximae morbi caussae provocant. Quam proximam caussam putamus, curationem fundat, in qua symptomata singula non respicienda sunt. Itaque in carditide nec pulsus tremulans nec vultus turbatus nec syncope nos a methodo antiphlogistica retinebit. Nobis si semper nota esset morbi proxima causa nostraque physiologiae et pathologiae scientia non esset manca, profecto methodus haec in totum valeret. Sed confitendum est, etiam diversissimis de proxima morborum caussa sententiis diversissimisque exinde adhibitis methodis, morbos non raro esse curatos; ut delirium tremens. Nam omnibus temporibus medici, qui optimum in curandis morbis habuerunt successum, fuerunt ii, qui non systematis auctoritati paruerunt, sed, qui naturam observare et persequi studuerunt. Ratione adhibita eligere, semper medicinae Hippocraticae erat; nam ex magna experientiarum copia, cui plus minusve systemata omnia innituntur, depromebat et eligebat, quae in praxi successum optimum praestiterant.

Novissimis temporibus studium eo se convertebat, ut effectum remediorum specificorum explicarent. Remedia autem specifica nominantur, quae proprio atque inexplicabili modo morbos, quorum proxima causa ignota est, tollunt, ut verbi causa hydrargyrum luem veneream, sulphur scabiem, china febrem intermittentem etc. etc. Quum morborum naturam ipsam nesciamus, in explicandis remediis nihil perfectum esse, manifestum est. Quod vero a naturae legibus nihil potest recedere, remediorum effectum, quam legem sequatur, exquirere licet.

Hahnemann, specifica remedia in corpore sano eadem symptomata exercere, quae in corpore aegroto morbus, quem curent, obtinuit, quapropter similia similibus curanda docuit. Ut Zelotes, qui veritatem novam invenisse sibi videtur, sic Hah-

nemannus sententiam istam pro principio curandi unico declaravit; quapropter se non iniustam caussam habere, ut scientiam nostram, ex saeculis multis acquisitam, detrectaret, opinatus est. Nec tamen disciplinam suam sine ulla disquisitione reiicere volumus; nam nonnulla insunt digna studio nostro ac diligentia. Qui enim scholae Homoeopathicae sunt adscripti remediorum, quae deglutiverant, effectus in se ipsis probaverunt; si curandorum morborum cognitioni per saecula multam operam dederant medici, in remediorum effectibus tentandis non multum erant progressi; sic plurium morborum diagnosin habemus, non therapiam, quod remediis, quae morbo respondeant, caremus. Quia remediorum effectus a priori non intelligendi sunt, factum est, ut conamina, ex forma externa, chemica ratione, electro-galvanicis aut magneticis legibus, quas sequerentur effectus medicaminum, omnino ex qualitate remediorum efficaciam probare, bono successu frui non potuerint. Cum casu tantum nobis cognitio remedii salubris vel observationibus non satis accurate institutis deprompta innotuerit; nam in aegrotis, sensibilitate mutata et reactione perversa, medicamina diversissimos exercent effectus; cum denique ex consuetudine remediorum commiscendorum novum quid gignatur necesse sit, quod nullo modo singulorum remediorum effectus complectens nos decernere non sinit, cui medicamini attribuendus sit hic vel ille effectus, — cognitio nostra de remediorum efficacia manca mansit. Effectus quidem praestantissimi noti erant: nota erant vomitum excitantia, diaphoretica, diuretica etc.; quae deinde afficiantur organa et quomodo irritabilitas diminuatur vel augeatur etc. non effugerat: sed vires minus eminentes nec tamen minoris momenti latebant. Quapropter fortasse non raro factum est, ut medicaminum effectus pro signis morbi haberentur; curandique methodus mutaretur. Magnam igitur utilitatem, remediorum

efficacia inquirenda, auctor disciplinae Homoeopathicae praebuit. Quod studium medicaminum in corpore sano tentandorum asseclae scholae Hippocraticae, ut Illustr. Ioergius, necessarium esse dixerunt et usurparunt.

Experimenta vero remediorum tentandorum caussa in corpore sano instituta iterum iterumque sunt repetenda; nam repetita tantum maioris momenti sunt, quia medicamini facile attribuatur, quod corpori etiam sano accidere potest: deinde sunt instituenda a personis utriusque generis, diversae aetatis, indolis, dispositionis; personas porro, qui periculum facturi sint, sanas esse et remedium apta dosi, ut effectus primarius distinctius animadvertatur, suscipere oportet. Nec minus necessarium est, ut symptomatum a medicamine evocatorum series assidue observetur: denique distinguendum est inter effectum primarium, sympathicum et secundarium. Rhei adhibiti primarius effectus, tunica tractus intestinalis mucosa irritata, diarrhoea est, sympathicus esse videtur, si pectoris oppressio ac tussis sicca, quam ipse observavi, ex affectione nervi vagi et sympathici exorta accedit; secundarius vero effectus, quam reactionem nominare solemus, in alvi obstructione cernitur. Praeterea observandum est, quae partes praecipue affici soleant: nux vomica systema gangliorum, hydrargyrum glandulas, aconitum arterias et telas fibrosas, digitalis cor et interdum renes. Ipecacuanha ventriculum tangit. Quum remedia quaedam in toto systemate aliquo vim suam exerceant, si organon afficitur, ab eius vitalitate dependet: post usum vini, actionem systematis arteriosi augentis, qui pulmonum tuberculis laborat, sentiet pectoris angustias nec raro haemoptysi laborabit.

Nec vero remedii efficaciam in hoc vel illo systemate manifestatam scire sat est; et scire volumus, qua ratione in organo mutationem gignat, in systemate disturbationem procreet.

Hahnemann, qui reiiciens omnem theoriam omneque rationis studium, quo dynamici organismi processus explicari possint, mechanismum quendam medicinae commendat; ut signa fideliter et accurate describantur, non demonstrentur, postulat. Quo factum est, ut medicaminum a schola Homoeopathica probatorum effectus et symptomata a capite usque ad pedes enumerata sint.

Itaque, qui effectus, medicamine suscepto cuique et sano homini accidere soleant, accuratissime animadvertendum, quomodo sensibilitatem, irritabilitatem et reproductionem tangant, diligentissime differendum est. Quo facto, multis remediis tentatis, sperandum est, fore, ut pharmacodynamicen impetremus, ex qua fructus in praxi optimos percepturi simus.

De methodo vero Homoeopathica, de qua medici nostri maxima ex parte diiudicare solent a priori, quod profecto medicinae Hippocraticae, in qua summum naturae studium cum eclecticismo empirico - rationali coniunctum est, male respondet, ego iudicium, quod experientia nitatur necesse est, ferre non possum. —
